



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 101. Correspondentium Principum Conventus Norimbergæ celebratus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

parte comitari jubebatur, præmisso alio agmine, quod viarum transitus aperiret. Vix hæ copix ad San - Maxentii oppidum pervenerant, cum jamjam obvios haberent Condæi milites, qui Regium exercitum, ne se cum Buscodelphino conjungeret, transitu prohibere moliebantur. Hos ergo Guisus ex improviso aggressus, internecone omnes numero sexcentos quinquaginta fudit, exceptis paucis, qui ad S. Angeli oppidum profugerant. Non multo post idem Guisus Condæi exercitum, quem Lufignium movere compererat, aggressus est, ac post pertinax utrinque certamen ingenti clade prostravit, desideratis eorum plurimis, ceteris fuga dilapsis, aliis vero vitæ gratiam deditioe redimentibus. Erepta sunt Condæanis quædam vexilla, quæ ad Regem, qui tum in Pictaviensi oppido adhuc hærebat, transmittabantur.

Sæc. XVII.  
A. C. 1615.

§. CI.

*Correspondentium Principum Conventus Norimbergæ celebratus.*

Interim Mathias Imperator pace cum Turcis stabilita Wolfgangum Neoburgi ducem tam potenter adjuverat, ut hic Henrici Bergensis subsidio suffultus totam ferme Juliacensem, & Bergensem

*Merc. Gallob. tom. 10.*

*l. 3.*

*Adlzreit. anal. Boicæ*

*p. 31. part. 1*

*sem 3. l. 3.*



Sæc. XVII. sem ditionem armis suis subiiceret. Ve-  
 rum tam prosperi successus felicitas Pro-  
 testantium attentionem vel maxime sol-  
 licitam reddebat, quocirca Principes  
 A catholici, qui sese *Correspondentes* no-  
 minabant, Norimbergæ Conventum ce-  
 lebrabant, de rebus suis consulturi.  
 Aderant quoque Gallix, Angliæ, &  
 Daniæ Regum necnon Ordinum Belgii  
 Fæderatorum Oratores: Hi omnes sub  
 exeuntem hujus anni Januarium Men-  
 sem præprimis eandem cantilenam de  
 querimoniis in Ratisbonensi Conventu  
 jam dudum expositis iterabant, a quo-  
 rum tamen consiliis, motisque in Cæ-  
 sare & Catholicos turbis longe absuit  
 Joannes Georgius Saxonix Elector,  
 quem Protestantes Heilbronæ congre-  
 gati, incassum licet in suas partes, de-  
 creta ad illum legatione pertrahere mo-  
 liti erant: cum ergo interim hujus Ele-  
 ctoris responsum ad ipsos perlatum esset,  
 illud publice in hoc Conventu prælege-  
 bant, hanc in sententiam conceptum:  
 „Cognovi equidem, quid vos de bello  
 „Juliacensi, quod a Catholicis statibus  
 „pro libertate Germanix opprimenda  
 „motum existimatis, & de capitibus  
 „Cæsari proponendis, itemque de Ju-  
 „liacensium regionum possessione scripsi-  
 „stis: postquam vero sublata, quæ Ca-  
 „piti debetur reverentia, diffidentia  
 „inter



Sæc. XVII.  
A. C. 1615.

„inter status Imperii indies magis ma-  
 „gisque crevit, & facta in Superiori-  
 „bus Comitibus separatione, non parum  
 „exasperata est, cum quilibet in con-  
 „cepta sua opinione, neglectis omnibus  
 „admonitionibus perseveraret, & ex-  
 „trema quæque potius experiri, quam  
 „ab ea recedere statueret: factum inde  
 „est, ut ad miserum hunc statum impe-  
 „rium pervenerit, & Cæsar coactus sit,  
 „rationem aliquam inire, quæ ad au-  
 „ctoritatis suæ conservationem, justitiæ  
 „oppressis administrationem, & multo-  
 „rum imperio impendentium malorum  
 „abrogationem facere aliquo modo pos-  
 „sit. Nam quod unitarum in Belgio  
 „provinciarum Ordines ad militarem  
 „hanc in Juliacensibus regionibus ex-  
 „peditionem causam Cæsari priores  
 „præbuerint, notum omnibus est. Ar-  
 „cem enim Juliacensem occuparunt, &  
 „exactis Neoburgici Principis militibus,  
 „novo præsidio, commeatuque & rebus  
 „necessariis omnibus munierant, eo so-  
 „lum fine, ut & executionem adversus  
 „Aquisgranensem civitatem forsitan sus-  
 „cipiendam impedirent, & inde alia  
 „quoque loca potestatis suæ facerent.  
 „Cum autem id, si successisset, & in Cæ-  
 „sarem injurium, & imperio, vicinis-  
 „que Electoribus, & Principibus per-  
 „niciosum esse potuerit, Cæsarem au-

*Hist. Eccles. Tom. LV.*

F f

„tem



Sæc. XVII. „tem vigilare, & damnum omne pro-  
 A. C. 1615. „propulsare deceat, videre quidem  
 „haud possum, quomodo id in Cæsare  
 „improbari valeat, quod in aliis proba-  
 „tum procul dubio fuisset, multo minus  
 „vero penetro, quomodo Cæsari (quod  
 „vos quidem expetitis) auctor esse pos-  
 „sim, ut jam susceptam executionem su-  
 „spenderet, & militem dimitteret,  
 „cum id auctoritati Cæsaris repugnet,  
 „& Ordinibus in armis jam constitutis  
 „accidere facile possit, ut suæ pote-  
 „statis loca ista faciant, & ita postero-  
 „ra primis pejora fiant.

„Interim desuper ad Cæsarem per-  
 „scribam: quod autem putetis hanc ex-  
 „petitionem eo fine a Catholicis procu-  
 „ratam, ut libertas Germanorum op-  
 „primeretur, & Religio Christiana sub-  
 „verteretur, de eo quidem mihi nihil  
 „constat, nec etiam Catholicos hoc  
 „nomine insimulare possum, quin po-  
 „tius ita statutum, & non minus Catholi-  
 „corum, quam protestantium interest,  
 „ut pax & tranquillitas tam Religionis,  
 „quam profana in Imperio conservetur:  
 „id equidem si scirem, hanc ipsis men-  
 „tem esse, in asserenda Germanorum  
 „libertate & Christiana Religione pro-  
 „pugnanda omnes intenderem vires.  
 „de cetero turbis istis certe opus non  
 fuit.



„fuiſſet, ſi transactioni Juterboceniſi  
„partes omnes ſtetiffent“.

Sæc. XVII.  
A. C. 1615.

§. CII.

*Saxonix Electoris literæ ad  
Cæſarem.*

Recitato hoc Electoris reſponſo Corre-  
ſpondentes Ordines mox aliam ad  
eundem decreverant legationem, qua  
tamen non audita Elector ipſemet datis ad  
Cæſarem literis eidem hæc expoſuit; mi-  
nime ignoro, „quod Cæſarea Majeſtas  
„veſtra adverſus Aquisgranenſes, &  
„Mulheimenſes eo duntaxat fine expe-  
„ditionem ſuceperit, ut occultis fœdera-  
„torum Belgii Ordinum, qui Juliacum  
„occuparunt, conſiliis obviam iret, Cæ-  
„ſaream auctoritatem tueretur, Juſti-  
„tiæ curſum promoveret, & quod æ-  
„quo judicio decretum eſſet, in execu-  
„tionem tandem deduci curaret, ac  
„demum, omnium Competitorum jura  
„facilius diſcutere, & unicuique, quod  
„ſuum eſſet, attribuere valeret: haud ta-  
„men diſſimulare poſſum, quod hæc pa-  
„terna Cæſarea Majeſtatis veſtræ ſollici-  
„tudo non ab omnibus probetur, ſed  
„proprium commodum ſubefſe credatur:  
„proin debita ſubjectione rogo, ut ſua  
„Majeſtas hanc expeditionem ita mode-  
„retur, ne ultra limites ſuos proveſta  
„incen-

*Merc. Gal-  
leb. tom. 10.  
l. 3. p. 77.*